

Die Consuetudines Schyrenses.

Mitgeteilt von P. Stephan Kainz, O. S. B. in Scheyern.

(Fortsetzung zu H. I. 1903, S. 161—175.)

De differentia festorum, secundum quam ceremoniae in divino cultu variantur.

Exceptis dominicis diebus quandoque reperiuntur differentiae festorum, scilicet duplicia, semiduplicia, simplicia, duodecim lectionum et trium et commemorationis tantum. Duplicia festa sunt in differentia duplici; quaedam vocantur festa duplicia maiora, quaedam duplicia minora, et haec quidem praeter regulas generales de eis et aliis in breviario conscriptis differunt etiam ab invicem in quibusdam sollempnitatibus et ceremoniis divini cultus quantum ad pulsus, cantum et luminaria, ut puta, quia in duplicibus maioribus antiphonae ad Magnificat et Benedictus sicut et in duplicibus minoribus dumtaxat duplicantur, sed in maioribus cantica Magnificat et Benedictus secundum aliquos tonos sollempnius intonantur per singulos versus. Sed et in eisdem festis maioribus omnes psalmi aut cantica, quae sub una antiphona psalluntur, intonantur singuli sicut primus psalmus sollempniter. Thurificatio etiam fit ad primas vespas in principio et ad Magnificat, similiter in missa a principio, ad evangelium et post offertorium, ad sacramenti elevationem. In duplicibus vero minoribus] f. 6 v. [licet antiphonae ad Magnificat et Benedictus duplicentur sicut in maioribus, tamen quoad tonos non servatur differentia inter ea et festa simplicia. Thurificatio etiam in eisdem non habetur nisi ad offertorium in missa, nisi foret officium prioris, in quo, quantum ad thurificationem, fit ut supra in festis maioribus, subdiaconus etiam patenam tenet sub toallia in omnibus festis duplicibus. In duplicibus insuper maioribus versiculi ad nocturnos et ad singulas horas canuntur in medio chori a duobus fratribus, similiter responsoria brevia et Benedicamus in vespas et laudibus. In solo autem festo ascensionis domini ad nonam cantatur Benedicamus in fine a duobus accolis sicut in duplici minori. In duplicibus vero minoribus tantum responsoria brevia et versiculi in vespas et laudibus benedicamusque cantantur a duobus, etiam si in secundis vespas a capitulo de non duplici festo incipiatur, in quo etiam antiphona ad Magnificat nihilominus duplicatur. Item in omnibus festis duplicibus responsorium longum incipitur a duobus, similiter et versus per duos cantatur. Semiduplicia vero differunt a simplicibus in hoc quod in semiduplicibus fit thurificatio post offertorium sicut et in singulis dominicis, quod non fit in festis simplicibus.

Annotatio festorum duplicium in singulari et in quibus abbas aut prior habet officiare.

Festa duplicia maiora sunt: Nativitatis domini, Sancti Stephani, Sancti Johannis evangelistae, Circumcisio domini, Epiphania domini, festa Beatae Mariae Virginis videlicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, Visitationis et Conceptionis. Item Sancti Benedicti, Dominica resurrectionis, Inventio sanctae crucis, Ascensio domini, Pentecostis, sanctae Trinitatis, Corporis Christi, Johannis Baptistae, sanctorum Petri et Pauli, Commemoratio beati Benedicti, sanctae Mariae Magdalenae, Laurentii, Exaltatio sanctae Crucis, Michaelis, Omnium Sanctorum et festum Dedicationis ecclesiae.

Quando abbas cantat missam.

In praedictis festivitatibus Abbas cantat missam, quando potest, exceptis festivitatibus sanctorum et solemnitatibus, quae infra sub rubrica propria specialiter patri priori ascribuntur. Cantat etiam abbas missam in die Coenae domini et Parasceves, in die animarum et quandocumque fratres faciunt professionem.

Festa vero duplicia minora sunt:

Sancti Andreae apostoli, Ambrosii, Nicolai, Thomae apostoli, Vigilia Nativitatis Christi, Mauri abbatis, Conversio sancti Pauli, Cathedra sancti Petri, Scolasticae virginis, Mathiae apostoli, Octava sancti Benedicti, festum sancti Marci evangelistae, Phillipi et Jacobi, Johannis ante portam latinam, Barnabae apostoli, duo dies sequentes Dominicam Resurrectionis et Pentecostes, quamvis de consuetudine agatur sollempniter ut in duplici maiori. Commemoratio Sancti Pauli, Divisio apostolorum, sancti Jacobi, sancti Petri ad vincula, octava assumptionis Beatae Virginis, Bartholomaei, Augustini, Mathaei apostoli, Jeronimi doctoris, Placidi et sociorum eius, Lucae evangelistae, Simonis et Judae] f. 7 r. [(Martini episcopi)¹⁾ sanctae Elizabeth, (sanctae Katherinae)¹⁾ Octava Corporis Christi.¹⁾

Festa semiduplicia sunt haec:

Sanctae Luciae, Innocentum, octava Epiphaniae, Agnetis, Agathae, octava ascensionis, (Octava Corporis Christi)¹⁾ Octava Johannis Baptistae, Octava Laurentii, Johannis et Pauli, Octava Nativitatis beatae Virginis, sanctae Caeciliae et sancti Clementis, Decollatio sancti Johannis Baptistae.

Quando prior sollempniter cantet nota.

De dictis festis maioribus et minoribus pertinent ad sollempne officium prioris, scilicet: Vigilia Nativitatis domini quoad missam,

¹⁾ Rasur.

prima missa in nocte nativitatis domini, Sancti Stephani, Joannis Evangelistae,¹⁾ missa in die Cinerum, in Dominica palmarum, missae in vigiliis paschae et pentecostes, duo dies sequentes dominicam Resurrectionis et Pentecostes et in festo sanctae Trinitatis, Visitationis Beatae Virginis, Johannis Baptistae, Petri et Pauli, in commemoratione beati Benedicti, in festis Laurentii et Martini.²⁾ In anniversario fundatorum cantat etiam missam et officiat in fratrum exequiis.

De ministris in officio sollempni abbatis et prioris.

In officio abbatis duo ceroferarii, accoliti videlicet, qui et versuculos et Benedicamus canunt cum diacono et subdiacono ac capellano gestante baculum more consueto induti ministrant nisi paucitas personarum obsistat, quorum subdiaconus videlicet sub Magnificat incensat primo abbatem, deinde diaconum et capellanum et consequenter conventum per ambos choros. Diaconus et subdiaconus capellanusque orent cum abbate vesperas, si pluralitas cantantium in choro admittat, alioquin sufficit unus, qui secum oret aliis similiter ad chorum descendentibus. Sed ceroferarii descendunt ad chorum. Diaconus et subdiaconus tenent eius librum pro capitulo et collectam dicendo. Subdiaconus tamen solus porrigit ei in missa post ewangelium librum ad osculandum. Et quidquid eo cantante aut benedicente sollempniter ei porrigitur aut ab eo accipitur, semper fit cum reverentia et osculatur sibi³⁾ manus.

Incidentale, quando osculemur abbati manus.

Unde generaliter osculamur manus abbatis aut episcopi, quoties nobis manus ab eis porrigitur. Item abbati manum osculamur, quando nobis aliquid dat aut a nobis per eum recipitur, sicut in completorio, quando ei porrigimus flabellum pro aspersione aut Thuribulum etc. Item quando eximus de monasterio et ab eo benedictionem petimus, et cum de via per eum suscepti revertimur, item diaconus et subdiaconus, quandocumque in officio per eum cantato ei aliquid dant aut recipiunt, osculantur sibi manus.

In officio prioris.

Ministri duo cappis induti serviunt eidem, qui una secum post inceptionem vesperrarum circa altare factam ad chorum descendunt, ipsum in cantando adiuvantes usque ad capitulum. Post cuius⁴⁾ rursus ascendunt et, ut moris est, ibidem complent, si autem pluralitas personarum admittit, circa altare maneant. In secundis vespereis abbatis aut prioris, prior absque paramentis et

¹⁾ Gregorii.

²⁾ et conversionis Mariae Magdalенаe.

³⁾ Korrektur.

⁴⁾ Rasur inceptionem.

ministris] f. 7 v. [more solito in choro regit. Completorium tamen post secundas vespervas ebdomadarius inofficiat. De cerimoniais autem in missa servandis vide infra circa processum missae.

De luminaribus in officio divino accendendis.

In festis duplicibus maioribus quatuor candelae incenduntur in altari summo ad vespervas et ad missam. Ad matutinum vero et ad antiphonam, quae post completorium cantatur, duae sufficiunt. Inter duplicia vero minora et alia XII lectionum non habetur differentia quoad lumina incendenda, sed generaliter in eisdem et in festis trium lectionum ad vespervas, ad laudes ac missam duae candelae incenduntur. In XII etiam lectionibus generaliter et in quibusdam paucis trium lectionum, ut in vigilia Nativitatis Domini, octava sancti Stephani, Johannis evangelistae, et Innocentium ad nocturnum similiter duae candelae accenduntur. Infra octavas Corporis Christi cottidie ad omnes horas propter sacramenti reverentiam in altari summo duae candelae ardent. In feriis autem ad vespervas, nocturnos et ad laudes una tantum candela accenditur, et illa ponitur ante medium vel in medio altaris. Ad Salve Regina, quod post completorium cantatur, semper duae candelae etiam in feriis accenduntur. In festis autem duplicibus minoribus ad vespervas et in maioribus similiter etiam ad matutinum incenditur Cereus paschalis, in omnibus dominicis diebus, similiter et festis XII lectionum celebribus ad missam tantum incenditur. In patrociniis altarium lumina duo cum congruis paramentis ad vespervas accenduntur. Item in anniversariis trium lectionum duo lumina infra vigiliis sicut in vesperis consuetum est, accenduntur. Sed in anniversariis IX lectionum et quando exequiae speciales pro aliquo aguntur, quatuor candelae circa paramenta funeralia in choro ad vigiliis et ad missam incenduntur.

De pulsibus campanarum et signis ad horas et ipsorum
. varietate.

Pulsus sive signa ad divinum officium fiunt hoc modo: In festis non duplicibus ad matutinum sacrista aut frater alius, cui excitandi officium committitur, hora debita surgens parat lucem in dormitorio, si necesse fuerit, et tunc pulset campanellam in dormitorio ad tempus unius pater noster, deinde singulorum fratrum cellas percutiat modeste cum conto aut baculo quousque deintus sibi signo aut verbo Deo gratias respondetur. Deinde tempore hyemali praesertim ipse aut alius, cui hoc ipsum committitur, provideat de lumine in loco, ubi fratres ad se calefaciendum solent convenire, et post omnium fratrum excitationem frater conversus sive alius ad hoc deputatus vadit ad pulsandum campanam secundam antiquam designatam usque ad duo pater noster et facto interfallo

debito sonetur ad chorum campanella consueta, quousque praesidens per signum campanellae parvae secum pendentis cessare jubet. Ad ympnum autem Te Deum laudamus pulsatur campana, cum qua semper consuetum est ad nonas facere primum signum. In feriis autem et tribus lectionibus servato post nocturnos intervallo fit pro laudibus signum unicum ad chorum consuetum cum campanella chori. Ad officium quotidianum capituli ad nolam ibidem pendentem semper fit signum.] f. s r. [Et si alia hora fratres ad praedictum locum convocantur, facto signo primo nolam percutiendo servatur intervallum, quousque maior pars conventus advenerit et tunc iterum fit aliud signum. Ad primam, tertiam et sextam semper pulsatur eodem modo, scilicet primo cum aliqua campana mediocri, secunda antiqua ad hoc deputata. Et facto signo primo nemo deinceps loquatur, sed omnes parent se venire ad chorum et facto intervallo competenti fit signum ad chorum. Ad sextam vero vel nonam, si quando statim post missam dicitur, fit signum in choro statim post agnus dei, ad mensam finito opere dei fit brevissimum signum in choro. Ad vespervas pulsus fit sicut ad matutinum. In festis duplicibus minoribus fiunt tria signa ad vespervas et matutinum, primum cum communi campana mediocri antiqua ad horas, secundum cum campana pro pulsu ad salutationem angelicam deputata, et tertium signum facto intervallo competenti cum parva campana ad chorum. In maioribus autem duplicibus ad vespervas et ad matutinum fit primo signum in turri cum omnibus campanis simul ad tempus duorum pater noster. Deinde pulsantur duae campanae maiores vicissim una post aliam, quaelibet ad unum pater noster, et postea tempore debito fit signum consuetum ad chorum. In eisdem festis maioribus ad primam, tertiam, sextam vel nonam fit signum primum cum campana maiori ad salutationem angelicam deputata. Ad lectionem collationis ante completorium quotidie fit signum cum campana parva in turri vel cum campana magna in festo duplici maiori ad moram unius pater noster, et postquam finita collatione fratres chorum intraverint, stantibus singulis in locis suis accolitus faciat breve signum cum parva campanella chori et postea praemisso versu Adjutorium nostrum et pater noster dicitur Confiteor. In fine completorii dicta trina oratione ab accolito semper sonetur tertio breviter cum praedicta parva campanella chori pro ave Maria. Idem fit post laudes et tunc, scilicet post completorium, aspergit praesidens conventum aqua benedicta. Si fuerit hora tardior, ut tempore hyemali nonnumquam contingit, tunc etiam sonetur cum campana magna ad angelicam salutationem, quo in tempore si tenebrae sint, frater deputatus lampades in dormitorio accendit, ut de completorio dormitorio intrantes lumen inveniant paratum. Ad missam conventualem semper fit signum cum pluribus campanis,

sed ad missas privatas fit unum tantum signum cum campana nova post finem capituli sive post primam ut in quadragesima. Similiter fit signum cum dicta campana ad priorem missam, ad elevationem sacramenti in missa cantata consueta signa fiunt. Ad missam pro defunctis cantatam fiunt signa tria breviter sicut ad vigiliis, in quibus ut communiter, quando tres lectiones fiunt cum cantatis responsoriis, tantum fiunt signa tria brevia cum tribus minoribus campanis. In officio vero novem lectionum signa fiunt cum omnibus campanis et postea fit signum consuetum ad chorum.

] f. 8 v. [De prostrationibus in terra
et qualiter satisfaciant fratres in choro aut alibi
in divino officio et lectionibus errantes.

Prostrationes facimus in capitulo culpam dicendo, similiter in privato dicendo culpam abbati sive priori, item aliquando in choro vel ante chorum aut dormitorium vel aliis locis ex iniuncta poenitentia, similiter in refectorio sub benedictione mensae aut post gratias ex imposita poenitentia speciali.¹⁾ Ad refectorium tarde veniens, ad mensam scilicet post finem versus gloria Patri, similiter ad horam collationis post benedictionem lectoris. Item ibidem strepitum aut sonum notabilem faciens, si sedet in acie tabulae, ut absque alterius impedimento statim surgere possit, sine mora veniam petat; sin autem, statim surgentibus fratribus de mensa se prosternat; si autem aliquid dampni commitat, ut evertendo cibum aut vinum sive aliquid aliud simile commiserit ultra prostrationem quam in refectorio facit, se ipsum in capitulo proclamet. Idem ministri mensae observant, item quando aliquis senior, praecipue dominus abbas aut prior vel eius vices gerens iuniori alicui commotus apparet ex sua culpa vel negligentia, sine mora se coram ipso prosternat. Similiter iuniores et novitii coram magistris suis observent, in quo specialiter de industria novitii sunt probandi. Idem observent inter se ipsos fratres, dum se forte graviter verbis offendunt et sibi mutuo reconciliantur. Item in choro strepitum faciens notabilem statim veniam petat. Si autem in cella strepitum huiusmodi fecerit tempore dormitionis aut post completorium, pro tali culpam in capitulo dicat. Ad mandatum fratrum sabbato, priusquam fratres sederint, si quis non venerit, veniam in matta petit. Singulae autem prostrationes in refectorio fiunt et in matta. Item de via revertentes fratres si pernoctaverint extra monasterium, ea die, qua venerint, ad singulas horas diei in fine sub antiphona et collecta, quae dicitur, se prosternunt. Si post completorium venerint, sequenti die ad omnes

¹⁾ Illud inmutatum per Johannem Slitpacher et capitulariter definitum est.

horas vel ad aliquas secundum praesidentis iudicium se prosternunt. Item prostrationem facit, qui in choro graviter fallitur, qui vero non graviter fallitur, scilicet qui non facit totum chorum errare, sed tamen notatur error ipsius, flexis genibus osculatur formam, qui autem apud se tantum fallitur, tangere debet manu terram. Lector vero mensae vel collationis si vitio suo graviter errat, praecipue aliquotiens emendatus, post finem ibidem veniam petat. Similiter sacerdos vel minister in missa errores graviter aut aliquid culpabile ibidem committens post expletum officium in matta chori veniam petat. Si vero dictae negligentiae vel errores graves fuerint, nihilominus pro huiusmodi in capitulo se proclamant. Officiales vero septimanarii de negligentis in officiis suis admissis culpas suas specialiter in sextis feriis recognoscentes faciunt prostrationes in locis suis, ut ebdomadarius sacerdos, diaconus et subdiaconus, cantor et accolitus in choro post nonam, et servitor ac lector mensae in [fol. 9 r.] refectorio, si ibi non fuerint hospites saeculares, alioquin die sequenti implebunt. Dictae tamen prosternationes officialium in festis duplicium maioribus non fiunt. Item in vigilia Nativitatis domini de mane hora capitulari stantibus cunctis interim, quo legitur martyrologio lectio de Nativitate domini, statim finita lectione cuncti se e regione prosternunt usque ad dictionem unius Gloria in excelsis Deo, quousque per praesidentem ad surgendum signum factum fuerit et tunc interim sedent usque ad finem lectionis. In die Parasceves ad crucis adorationem fiunt prostrationes tres, de quibus inferius habetur.

De his, qui tarde ad opus Dei occurrunt aut infra illud sive ante finem inde exeunt.

Qui ad divinum officium ante finem versus sicut erat post primum Gloria Patri non fuerint intra sedilia in loco suo, talis vadit ad mattam, et ibidem tectus, nullasque cum conventu interim communes cerimonias servat. Si fuerit ebdomadarius et ante finem signi ad chorum non fuerit in loco suo, ut officium incipiat, stat similiter ad mattam; qui vero ex toto aliquam horam absque licentia negligit, vel ad officium capituli non venerit, dicit sequenti die culpam suam; qui causa necessitatis operis naturae cogitur de choro, sufficit ei pro licentia petenda facere inclinationem ad praesidentem, huiusmodi tamen exitus in missa conventuali et praesertim post elevationem a nullo debet frequentari. Si vero quis alia de causa exire habet, talis brevi verbo, quo ire velit, suggeret Priori; officiales tamen nonnulli, qui occasione officiorum suorum exire coguntur, non necesse id semper Priori insinuare, similiter nec ad rasuram infra officium divinum vel ad audiendum confessionem vocati.

De officio Capituli et disciplina sese ibidem proclamandi.

Capitula quotidiana pro quotidianis monitionibus aut culparum, prout opus fuerit correctionibus, secundum regularem morem nullatenus obmittantur, convocatis itaque fratribus suo tempore, ut supra patuit, per signum nolae ad Capitulum sedentibus cunctis ad signum praesidentis legitur sub accentu lectio de martyrologio, in cuius fine semper additur a lectore illa clausula: Et alibi aliorum plurimorum sanctorum martyrum, confessorum atque virginum, et surgentibus omnibus ac e regione stantibus Ebdomadarius dicit in directe versum Pretiosa in conspectu domini. Conventus: Mors sanctorum eius. Ebdomadarius: Sancta Maria et omnes sancti intercedant pro nobis ad dominum, ut nos mereamur ab eo adiuvari et salvari. Qui vivit et regnat in saeculo saeculorum. R. Amen. Ebdomadarius: Deus in adiutorium meum intende. R. Domine ad adiuvandum me festina et repetitur tertio cum Gloria Patri. Sicut erat etc. per totum conventum. Ebd. Kyrie eleison, Pater noster. Ebd. Et ne nos inducas etc. Cantor primus: Respice in servos tuos et in opera tua, Domine, et dirige super nos, et opera manuum nostrarum dirige et opus manuum nostrarum dirige Versus: Gloria Patri. Versus: Sicut erat. Ebd. Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare domine Deus rex coeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus sermones et actus nostros in lege tua et in operibus mandatorum tuorum, ut hic et in aeternum te auxiliante salvi et liberi esse mereamur, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. Lector dicit in d rectum: Jube domne benedicere. Praesidens: Dies et actus nostros in sua pace disponat dominus omnipotens. Amen. Lector: Dominus autem dirigat corda et corpora nostra in charitate Dei et patientia Christi. Tu autem Domine, miserere nobis. R. Deo gratias. Haec lectio dicitur tam feriis quam dominicis diebus ab octava Epiphaniae usque ad dominicam primam Quadragesimae, et ab octava Pentecostes usque ad adventum Domini. Reliquis diebus ad absolutionem dicitur Capitulum quod ad Nonam ejusdem diei habetur, nisi aliqua specialis absolutio signaretur. Deinde praesidens dicit: Adjutorium nostrum in nomine domini. Conventus: Qui fecit coelum et terram. Praesidens: Benedicite. Conv.: Deus. Praesid.: Dominus nos benedicat et ab omni malo defendat et ad vitam perducatur aeternam. R. Amen. Dein le legitur Kalendarium mortuorum sub hac forma: Obierunt N. et N. presbyteri et monachi nostrae congregationis etc. et alii familiares nostri. Quo dicto ebdom. infert: Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. R. Amen. Cantor: De profundis clamavi et concluditur in fine. Requiem aeternam. Ebdom.: Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Et ne nos. R. Sed libera nos.

Ÿ. A porta inferi. Ÿ.: Requiescant in pace. Ÿ. Domine exaudi orationem meam. Ÿ. Dominus vobiscum. Oremus. Absolve quæsumus Domine animas famulorum famularumque tuarum, parentum, fratrum, sororum, propinquorum, benefactorum et recommendatorum nostrorum et omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos et electos tuos resuscitati respirent. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. Ÿ. Requiem æternam dona eis Domine. Requiescant in pace. R. Amen.

De lectione Regulae et aliis, quae sequuntur ibidem.

Post hac sedentibus cunctis legitur sub accentu capitulum unum vel pars Capituli ex regula, et in fine lector dicit: Tu autem Domine, miserere nobis, et respondetur Deo gratias. Quo dicto si praesidens aliquid dicere vult de Regula lecta exponendo vel exhortando juxta dierum aut negotiorum sive congruentiam fratrum facere potest. Quibus expletis siquidem dicendum est aut commonendum de culpis aut negligentis vitandis, sive de disciplina servanda, quod etiam ad non professos pertinet. [dicit Praesid.] Benedicite, et respondentibus omnibus Dominus, proponit ipse ea, quae proponenda sunt. Si nil talium occurrit dicendi, et aliquid deducendum est ad professos tantum, dicit simpliciter, quod novitii sive qui non sunt professi exeant aut si vult prius audire culpas dicit: dicantur culpa, et si novitii aut hospites habent dicere culpas, dicunt eas. Si nihil habent dicere, statim exeunt de capitulo. Et si quid est agendum exponitur professis. Si instat festum aliquid aut tempus sacrum exhortantur fratres, secundum exigentiam festi aut temporis ad devotionem habendam, ad servandam arctius disciplinam, ad vitandum discursus et colloquia, ad praevidendum debito tempore cantum, rubricam, lectiones et similia breviter dicantur. In fine dicto praesidente: Confortamini in domino vel oremus pro invicem, et facto signo manu super scamno sin] f. 10 r. [guli vadunt ad loca sua.

De forma dicendi culpas et se proclamandi.

Si quis autem frater dicere habet culpam vel vocatus ad mattam fuerit, humiliter se prosternit capite tectus nihil praemittens neque dicens, et dicente sibi praesidente: Quid dicitis prostratus respondet: Meam culpam, et ad jussum praesidentis surgens inclinatus profunde dicit culpam suam, et statim prosternit se iterum usque ad jussum praesidentis jacens. Et si plures ei culpa obiciuntur aut commemorantur, semper se prosternit et iterum jussus surgit. Quod si reus non est aut sibi non conscius de obiectis petita benedictione, si ei loqui permittitur, humiliter id de quo sibi est conscius exponit. In fine imposita sibi poenitentia inclinatus humiliter respondet Deo gratias et ad suum locum

transit vel exit de capitulo, si non est professus. Similiter in privato dicendo culpam abbati aut priori se primo ante eum prosternit, in cuius arbitrio stabit, si pro hoc ipso et etiam in capitulo se ipsum debeat proclamare.

Poenitentiae regulares pro levibus culpis.

Iniunguntur autem vel committuntur pro excessibus et culpis mere regularibus et quottidianis levioribus negligentibus prostrationes in choro post finem horarum diei vel etiam in refectorio, psalmi poenitentiales unus aut plures, officium defunctorum, Pater noster unum vel plura, abstinencia a cibo uno vel pluribus, a toto vino vel a parte, manducatio in terra. Sed pro scandalosis excessibus, ut murmure, rebellione, contentione, exitu de monasterio aut cum dederit aliquid vel acceperit sine licentia et similibus, disciplina virgarum, incarcerationio, strictissimum silentium usque ad revocationem, stare in ultimo loco in choro.

Forma autem dicendi culpam specialem.

Ego dico culpam meam omnipotenti Deo, beato Benedicto, toti congregationi et vobis patres, specialiter, quod fregi silentium tali loco vel hora, neglexi venire ad capitulum, feci strepitum hora domitionis in cella, maculavi librum, neglexi tertiam, non occurri debita hora cum aliis ad orationem pro labore et ceteris.

De culpis generalibus.

Culpas generales semel in quolibet mense, quarta videlicet sexta feria post dominicam primam mensis dicimus, fratres; conversi et novitii et hospites, si plures habeamus, quartis feriis et reliqui professi sextis feriis dicunt. Si occurrit in una illarum dierum festum duplex maius, tunc anticipantur vel transferuntur culpa*e* iuxta praesidentis arbitrium vel autem in genere iniunguntur singulis dicere singulos psalmos poenitentiales vel aliquot Pater noster. Dicunt autem fratres culpas secundum ordinem a senioribus incipiendo, quod et a novitiis et hospitibus servatur, qui dictis culpis exeunt de capitulo; professorum autem nullus exit absque licentia generali vel speciali praesidentis.

Forma autem culparum generalium haec est:

Ego dico culpam meam omnipotenti Deo, beato Benedicto, toti congregationi et vobis patres primo de sancta Regula, quam non servavi secundum possibilitatem meam, de oboedientia]f. 10 v. [et reverentia, quas non exhibui vobis et singulis patribus et fratribus meis; de divino officio in quo multas commisi errores et negligentias, pro quibus non satisfeci sicut debui; de sancto silentio, quod non custodivi horis et locis prohibitis; de superfluitate cibi et potus, sompni et vestitus, de mea propria voluntate,

quam saepius secutus sum iniuste, de multis malis moribus meis et exemplis, et de omnibus aliis excessibus et peccatis meis dico culpam meam omnipotenti Deo, beato Benedicto, toti congregationi et vobis pater. Dicta culpa dicitur ei a praesidente: Deus pareat vobis, dicatis illum vel illum psalmum poenitentialem. Fratribus conversis iniungitur pro culpis generalibus singulis dicere septem Pater noster. Si frater fuerit officialis septimanarius in tabula descriptus matricula, videlicet ebdomadarius, diaconus, subdiaconus, cantor, acolitus, lector aut servitor ad mensam in fine facit mentionem recognoscendo negligentiam suam in officio per ebdomadam sibi commissam. Qui quidem septimanarii singulis ebdomadis feria sexta culpas speciales dicunt de negligentis in officio commissis. Officiales etiam ceteri, ut dominus abbas, prior, subprior, cellerarius, et dispensator de negligentis in suis officiis commissis culpas speciales post generales recognoscant. Similiter qui de via venerit, dicit in mane culpam suam, quod non ita religiose se rexit extra monasterium et in via sicut debuit. Ita etiam qui per tempus vel dies aliquos stetit in infirmaria vel in minutione sanguinis, recognoscit culpam suam cum gratitudine servitutis sibi impensae.

De gradibus disciplinae in culpis gravioribus.

Si quis frater aliquem gravem commiserit excessum, pro quo etiam ad carcerem iudicio domini abbatis mitti digne meruit, talis, nisi propter certam necessitatem ad statim sit illuc mittendus, mane in capitulo dicto per eum culpa sua aut de eadem proclamatus et convictus, postquam ei mandatum fuerit, ut ad carcerem transeat; receptis ab eo in matta cingulo et cultello ducitur secrete per priorem et alios duos ad carcerem et ibidem clausus poenitet. Si est frigus excessivum aut de fratris periculo corporali timetur, juxta dictamen abbatis mittitur ad cellam aut ad alium locum mitiorem et ibidem tenetur, si fuerit opus, sub clausura nec inde exit nisi ad opus naturae et hora refectionis, quam facit cum servitoribus aut in loco sequestrato. Nemo eidem secundum regulam interim sine licentia loquitur aut sociatur. Postea tempore, quo domino abbati videbitur, vocatur ad capitulum et dicta culpa sua iniungitur ei secundum formam infra scriptam recipere unam aut per vices plures disciplinas et quotiens tempore suae poenitentiae ad mattam vocatur, simpliciter recognoscit culpam suam, iniungitur tunc eidem manducare publice in terra usque ad revocationem et facere prostrationes ante fores oratorii post finem operis dei et post gratias ac post completorium in ingressu dormitorii nec interim oratorium] f. 11 r. [audet intrare, quas poenitentias iterum iuxta abbatis arbitrium habet continuare. Postea dum ad chorum intrare et cum ceteris cantare et psallere ei fuerit permissum,

datur ei locus standi post fratres, in qua poenitentia aliquando diutius stare dimittitur, ut ex hoc eius humilitas comprobetur. Neque in choro psalmum aut antiphonam nec quippiam ordinis sui, si in sacris fuerit, exercere praesumet, quousque ei fuerit concessum. In arbitrio tamen et iudicio abbatis stat obmissis aliquibus gradibus disciplinae punire fratrem per alios gradus, prout salutis suae et congregationis noverit expedire. Si non causa specialis obsistat, propter quam nonnumquam sibi iniungitur diutius strictissimum silentium tenere, expleta poenitentia poterit exposit sicut antea ceteris conversari, exhortaturque, ut se de cetero studeat emendare et ut ceteri suo exemplo caveant sibi a lapsu. Interim vero cum est in poenitentia maiori praesertim ab aliis sequestratus, saepius in capitulo fratrum orationibus commendetur et oretur pro eo secundum regulam ab omnibus. Si autem aliquis propter causam quantumcumque excommunicationem maiorem canonicam sive ecclesiasticam incurrit, expedit regulariter ad cautelam prius eum ab eadem publice in forma ecclesiae in loco capitulari absolvi et postea ad poenitentiam mitti regularem.

De modo dandi disciplinas cum virgis.

Reus disciplinae flectens genua ante altare vel crucifixum in capitulo et usque ad umbilicum exutus, capite tamen cuculla tectus, penitus eo silente abbas aut prior ipsum verberat semel aut bis per quemlibet versum psalmi Miserere mei Deus, quem praesidens incipit et fratres per choros stando dicunt; si est frigus intensum dicitur, psalmus de profundis. Verbera autem danda sunt maiora vel minora secundum exigentiam culpae et personae peccantis. Post versum Gloria patri dicit praesidens: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, pater noster, et ne nos. *Ÿ*. Salvum fac servum tuum. *Ÿ*. Convertere domine usquequo. *Ÿ*. Domine exaudi orationem meam, Dominus vobiscum. Oremus. Deus, cui proprium et misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram et hunc famulum tuum, quem inoboedientiae aut alterius culpae, propter quam verberatur, poena constringit, miseratio tuae pietatis absolvat. P. Chr. D. n. Deinde reindutus vadit ad mattam et ibi breviter admonetur, ut in futurum se emendet.

Sequitur de forma confessionis et absolutionis sacramentalis et de casibus reservatis.

Post mentionem factam de confessione capitulari pertinens est dicere aliquid de forma confessionis et absolutionis sacramentalis. Et primo de forma confessionis quam facimus in completorio et prima et ante altare in missa, quae talis est:

Forma confessionis ante altare in missa, completorio et prima.

Confiteor omnipotenti Deo, beatissimae Mariae Virgini, beato Benedicto et omnibus sanctis et vobis me graviter peccasse per superbiam in legem Dei mei cogitatione, delectatione, consensu, visu, verbo, opere et obmissione, mea culpa,] f. 11 v. [mea maxima culpa. Ideo deprecor beatissimam Virginem Mariam, beatum Benedictum omnes sanctos Dei et vos orare pro me.

Chorus vel minister in missa dicit: Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis tuis perducatur te in vitam aeternam. *R.* Amen. Chorus vel minister dicit: Confiteor omnipotenti deo etc. et tibi, pater, me graviter peccasse etc. Ideo precor etc. et te, pater, orare pro me. Praesidens vel presbyter dicit: Misereatur vestri omnipotens Deus etc. Deinde subiungit: Indulgentiam et remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors dominus. *R.* Amen.

De modo quotidie confitendi.

Confessus frater flectat genua humiliter coram confessore et petita benedictione dicat cum devotione et attente: Ego miser et indignus peccator confiteor omnipotenti Deo, Beatissimae Mariae Virgini, beato Benedicto, omnibus sanctis et vobis, honorabilis vel reverende pater, loco dei, quod heu nimis peccavi in vita mea et specialiter a proxima confessione ingratus domino deo de beneficio absolutionis non me custodivi a peccatis, sicut proposui, sed multa peccata commisi cogitationibus, verbis et factis ex levitate et mala consuetudine, multa bona obmisi, quae facere potui; circa custodiam cordis et sensuum meorum negligens fui. Tempus et vires animae et corporis saepius inutiliter consumpsi, fui negligens in lectione, meditatione, oratione, bonorum operum executione, et in omnibus spiritualibus bonis nimis tepidus et remissus, praecipue circa officia debita. In sancta missa et horis canonicis non adhibui diligentiam et mihi possibilem et debitam attentionem, inadventus ac irrecollectus ad eandem accessi, in processu corde vagus fui et distractus, feci errores et iterationes ac divisiones plurimas circa exteriora interim me occupando, habui multas et varias cogitationes saepe vanas, inutiles, etiam immundas, vitiosas et turpes tempore orationis et aliis temporibus, quibus non semper debite restiti, sed in nonnullis moram culpabilem feci. Habui etiam cogitationes suspiciosas de proximo et aliquando temere in corde meo iudicavi aliena verba, facta, intentiones et corda, etiam visa et audita male interpretando. Peccavi etiam in loquendo plus quam necesse fuit per verba vana et levia et alios ad similia provocando, et aliquando falsum dicendo aut mendacium committendo. Et alias multa verba seminavi,

in quibus non semper circumspetus fui, quandoque proximo vel maioribus meis derogando et obloquendo, ipsorum acta et dicta redarguendo leviter et contempnendo. Fui etiam excessive laetus et altus in risu, aliis similiter occasionem praebui et mala exempla dando ad peccandum induxi. Peccavi etiam pluries per superbiam et vanitates corde, ore, opere, devotionem et religiositatem ex ypocrisi simulando. Item peccavi per iram, impatientiam, invidiam et malam tristitiam et accidiam, malis temptationibus et passionibus ac multis inordinatis affectionibus et desideriis non debite restiti, sed in eisdem saepius culpabilem moram admisi, omnia verba mea, cogitationes et opera in deum non ordinavi. In operibus pietatis, misericordiae atque in dei et proximi] f. 12 r. [dilectione me pro tempore et loco non exercitavi, prout debui. Pro benefactoribus etiam vivis et defunctis et bono statu sanctae ecclesiae pro meo posse non satisfeci. Domino Deo pro suis beneficiis et donis, praecipue vocationis meae ad statum sanctae religionis, non ita gratus fui nec particulariter et distincte recogitavi, ut potui. Peccavi etiam in sumendo cibum et potum in quantitate et modo sumendi et nimium indulsi carni sequens appetitum gulae plus quam necesse fuit et utile corpori. Etiam exinde nonnumquam gravamen et nocumentum ac indispositionem ad exercitia debita sensi. Nimis piger etiam fui ad surgendum debito tempore ad divinas laudes, specialiter confiteor, quod hac nocte habui sompnia impudica et exinde sensi brutales motus in carne, etiam immunde ab extra pollutus vel maculatus fui, et hoc, ut timeo, ex culpa mea mihi accidit vel sic habui visiones impudicas in sompno et exinde libidinese accensus fui in carne et propinquus resolutioni, causam tamen ignoro, doleo tamen de peccato et occasione. Si scitur causa vel probabiliter aestimatur, sed non oportet super hoc nimis sollicitum esse nec opus est, ymmo incautum saepius exponere ipsa sompnia in singulari aut in vigilia de eis fantiari (?).

Conclusio confessionis.

De istis et multis ac innumeris aliis peccatis meis oblitis et ignoratis, quibus offendi contra deum vel proximum et contra sanctam regulam et statuta patrum commissive et obmissive ego doleo et peto veniam et misericordiam a deo et a vobis patre absolutionem et poenitentiam salutarem etc.

Alia forma compendiosior.

Ego dico culpam meam deo omnipotenti etc., quod nimis peccavi in vita mea et a proxima confessione mea non custodivi pro posse sed multa peccata commisi, multa bona neglexi, in divinis officiis nimis negligens fui, in missa, in horis canonicis

vagus, inquietus; multas habui cogitationes vanas et inutiles, quibus non debite restiti, plura verba locutus sum locis et temporibus prohibitis, silentium regulare solvi, protuli verba levia et inutilia, et aliis ad similia occasio fui et libenter audiui. Tempus et vires quandoque infructuose expendi, deo ingratus fui pro donis et beneficiis spiritualibus et corporalibus, pro benefactoribus non fideliter oravi. Corpori nimis indulsi de cibo, potu et sompno, et in cunctis meis sermonibus, actis et affectionibus non fui regulatus, deum non habens in omnibus prae oculis. Etiam verisimiliter aliis occasio fui ad peccandum per mala exempla et mores. Fui etiam negligens in disciplina et in observantiis regularibus. Et adhuc multa alia peccata feci, quae me latent ex culpa mea, quia circa me ipsum nimis negligens fui et inconsideratus. Ego doleo tamen de his et omnibus aliis peccatis meis oblitus et ignoratis, quibus offendi contra dei praecepta et sanctae regulae commissive vel omissive, mortaliter sive venialiter, sicut deus noscit, a quo peto veniam et misericordiam et a vobis in Christo patre absolutionem et poenitentiam et orari pro me.

Ex praemissis formulis, quae ad simpliciorum fratrum et praesertim] f. 12 v. [de novo ad religionem venientium informationem signatae sunt, sufficiens confessio quotidiana in generali colligi potest. Specialia autem praedicta cum suis circumstantiis sunt prout occurrant specificè confitenda. Nec ideo dictae formae conscriptae sunt, ut eisdem semper uti necesse sit, sed ut occasio et manuctio detur sese compendiosius recolligendi et succincte suas culpas confitendi, necessaria pertinentia confitendo et superflua obmittendo.

De forma absolutionis sacramentalis.

Praemittat confessor orationes: Misereatur tui omnipotens Deus etc. Indulgentiam et remissionem, quae supra immediate patent. Deinde sequatur absolutio sacramentalis in hunc modum: Dominus noster Jesus Christus per meritum passionis suae dignetur te absolvere et ego absolvo te a vinculo excommunicationis, suspensionis aut interdicti, si aliquo teneris, et a peccatis tuis. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Et sit intentio confessoris, quod velit absolvere ab omni censura et peccato, a qua et a quo potest absolvere et non amplius, et tunc non incidet poenam. Quae Religiosi, de privilegio licet non sit appositum in forma excommunicationis minoris prout quidam ex dicta causa apponunt. Post hoc confessor addat sequentia aut similia: Meritum Domini nostri Jesu Christi, Beatissimae Mariae et omnium sanctorum merita, omnia bona, quae feceris et mala, quae sustinueris, labores tui boni et bona, quae alii pro te fecerunt ac indulgentiae, si quas acquisieris, sint tibi in remissionem peccatorum tuorum,

in augmentum gratiae et ad meritum vitae aeternae. Quia ex tali additione aut simili dicunt doctores omnia in huius additione inclusa maiorem efficaciam habebunt satisfaciendi pro peccatis, quia non solum ex genere operis bona erunt vel ex radice caritatis, sed etiam specialem efficaciam satisfaciendi ex sacramento absolutionis seu ex clavibus ecclesiae per confessorem applicatis. Deinde confessor pro satisfactione iniungat psalmos sive orationes, prout videbitur saluti confitentis expedire. Proinde considerandum, quod nemini unquam ad celebranda divina accedere licet, nisi prius sacramentaliter confesso et absoluto, sed neque praesumat quilibet alterius audire confessionem aut sacramentaliter absolvere nisi de abbatis aut prioris commissione et licentia speciali. Sacerdotes insuper frequentius, prout possunt, missas celebrare non praetermittant. Vacantes autem sive feriantes sicut et ceteri clerici et conversi, nisi legitime fuerint impediti, ad ministrandum aliis celebrantibus voluntarios se offerant et paratos studeantque, ut saltem singulis diebus missam aliquam audire non leviter obmittant.

De casibus abbati reservatis.

Omnes casus papales ad solum papam pertinent et illi reservantur, omnes casus episcopales in monasteriis pertinent ad abbatem. Similiter pro institutione et conservatione observantiae regularis vitae abbas reservare debet sibi aliquos casus observantiae magis contrarios, a quibus solus abbas aut prior, si sibi commiserit, juxta formam in cartha patrum visitatorum superius descriptam absolvat, ita tamen, quod in generali confessione [f. 13r.] bis in anno abbati per singulos facienda isti casus eidem referantur et sunt isti: Omnes proprietarii, videlicet qui aliquid tenent, quod abbas non dederit aut permiserit. Omnes qui recipiunt aut mittunt litteras vel nuntios absque licentia abbatis. Omnis carnalis corruptio praeterquam in sompnis. Omnis contactus luxuriosus sui aut alterius ex intentione libidinosa factus. Verba luxuriosa per quae unus intenderet alium ad malum trahere vel hortari. Omnia oscula carnalia libidinosa intentione facta. Omnis notabilis rebellio et contradictio inordinata contra abbatem, priorem aut quemcumque seniore. Lites notabiles et excessivae aut clamosae et verba vituperationis et maledicta. Conspiratio contra superiores facta. Omnis exitus extra claustrum vel septa monasterii. Omnis bibitio praeter aquam aut manducatio sine licentia. Introitus ad cellam alterius absque licentia. Revelationes confessionum et secretorum capituli. Ruptio silentii post completorium. Obmissio cursus officii defunctorum vel officii principalis ex intentione. Ruptio silentii in loco secreto omni tempore. Defoedationes immundae locorum conventualium et sacrorum. Confessionem audire alterius sine licentia. Ludere cum taxillis. Furari. Falsare sacram scripturam.

Contempnentes poenitentias capitulares.¹⁾ Praemissa si publica fuerint, publice in capitulo, sicut expedit, puniantur. Possunt insuper casus praedicti ex causis pro tempore plurificari aut etiam minorari, sicut expediens videbitur abbati.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Aus dem Briefverkehr deutscher Gelehrten mit den Benediktinern der Kongregation von St. Maur und deren Beziehungen zu den literarischen und religiösen Bewegungen des 18. Jahrhunderts.

Von J. E. Kathrein, O. S. B.

(Schluß zu H. I. 1903, S. 175—184.)

IV. Viro Summo Dno Bernhardo Montefalconio S. P. D. Joh. Christophorus Bartensteinus.²⁾

Literae Cl. Sodalis Tui Dni Patris de la Rue tot propensissimi Tui erga me affectus specimina continent, ut impetrare a me non possim, quominus gravissimas occupationes Tuas nunc interrumpam, gratum ut ob id Tibi tester animum meum. Ante omnia summopere me Tibi obstrictum profiteor, quod in literis ad Clariss. Gentillotium honorificam adeo mei facere memoriam non fueris dedignatus. Optime mihi sum conscius quam parum iudicium istud Tuum merear, quod Tu non pro eruditione quam pro Tuo erga me amore tulisti. Illo interim haud parum nunc Vindobonae glorior, ipseque Gentillotus invidere mihi hanc fortunam meam visus est. Solatio ipsi fuit et se a Te, Vir admodum Reverende, laudatum fuisse: adeo haec res illum affectit, ut gaudium quod inde cepit nec me e longinquo ipsi colloquentem fefellerit. Sane cum antea summe jam erga me humanus esset, Tuis literis lectis humanior adhuc videri voluit. Proxime ipse Tibi respondebit. Literas ego meas ad Parentem includam, quae commoda occasione Parisios mitti possint. Non minus quoque in Tuo me ore esse agnosco, quod propensius adeo esse videris res meas Tua commendatione apud Illustrissimum Dnum de Valjoin promovendi. Exosculator cordatum Tuum Vir Amplissime inserviendi alijs studium, Teque vel ex hoc specimine eundem adhuc esse qui fueras semper agnosco. Ego ipse quo in statu nunc res meae

¹⁾ Am Rande sind von späterer Hand noch andere Reservatfälle beigefügt: Item frangentes fraude seras, ianuas, fenestras libros, tabulas appensas parietibus, vela cellarum (?) membranas in loco secreto et (?) in quocunque factas. Portantes lumen ad locum secretum sine lucerna Item defoedantes locum secretum. Et qui inducunt cellam suam vel in (?) laicos.

²⁾ Ibid. 17702, p. 157.